

† R. P. Aloisius Meier (1871-1935)

(Prov. Germ. Sup.)



Dies 9 Ianuarii 1935, quo lipsania Servi Dei Gasparis Stanggassinger Garsii e crypta subterranea in ipsam ecclesiam sollemni ritu translata sunt, Provinciae Germaniae Superioris universaeque Congregationi dies honestissimus fuit¹. Inter testes iuratos primus erat Servi Dei biographus, R. P. Aloisius Meier, quo nemo attentius totam caerimoniam prosequebatur. Numquid animo praesagienti tum vidi in eodem loculo, ubi per 35 annos corpus Patris Stanggassinger quieverat, post paucas hebdomades suum corpus mortuum sepultum iri? Id quidem verisimile non est; nam licet P. Meier valetudine minus comoda uteretur, tamen voluntate sua vivendi infracta Patriarcharum aetatem sibi expectabat, vel saltem ardenter desiderabat. Sed *homo proponit et Deus disponit*.

Pituita pertinax et inde effecta diuturna gravisque tussis cor carissimi confratris adeo affecerat, ut exeunte Ianuario cordiaca hydropisi captus, mox ad extrema redigeretur. Tandem aegrotus Dei voluntati se commisit et d. 2 Februarii, sabbato festoque Purificationis B. M. V., mane h. 2.15 animam Creatori suo reddidit, annos natus 64. Ergo brevi secutus est in morte fratrem iuniorem, R. P. Alfonsum Meier, qui d. 22 Martii 1933 in domo Cham occubuit, annum agens 56.

Aloisius Meier, fabri lignarii filius, d. 16 Oct. 1871 proxime Garsium in Reichertsheim natus est, per quem vicum via olim famosa, a Vienna per Monachium Bruxellas ducens, transit. Etiamtum puerulus in iuvenatum Provinciae tunc exorientem venit, ubi nulli rei addiscendae libentius studebat quam historiae. Studiis absolutis d. 23 Sept. 1894 sacerdos ordinatus est, vix annos natus 23. Deinceps per complures annos Lector iuvenatus, partem actorum processus B. Clementis Hofbauer in Latinum convertit. Quoniam historiam amare et excolare nunquam destitit, renuntiatus est Chronista Provinciae et in variis collegiis Chronista domus.

¹ Cfr. supra, fasc. 1, p. 27.

Fuit quoque scriptor infatigabilis ac fecundus, typis mandans modo librum, ut vitam Patris Stanggassinger (1902), modo libellum, ut brevem vitam Servae Dei Annae Catharinae Emmerich (1906), vel S. Clementis (1908), vel S. Alfonsi (1909), modo aliquem articulum in foliis periodicis, ut « Sulzbacher Kalender », vel in actis diurnis. Scribere, praesertim de argumento historico, deliciae eius erant. Mire versatus erat in patriae Bavariae historia et undique consultabatur. Qua in re omnes prodigiosam eius memoriam admirabantur. Maiori etiam laudi nos ei vertimus, quod tanto studio sese dabat historiae Congregationis nostrae, quam ut matrem ardenter amabat. Ei debentur *Commentarii de rebus in Provincia Germaniae Superioris gestis*, qui annos 1901–1912 complectuntur. Imprimis vitam S. P. N. Alfonsi et S. Clementis magis magisque cognoscere aliisque notam reddere satagebat.

Ad missiones praedicandas P. Meier minus mittebatur, sed eo magis ad auxilia diebus Dominicis vel festis in paroeciis praestanda. Ibi apparabat, quantopere humilem populum amaret. Hunc populum noverat, pro hoc populo contionabatur, et si quando homines magis culti se eius dictione paulum agresti offensos monstrabant, ipse ridebat. Verum etiam viri culti comprobabant eius scientiam historiae et indefessam luctam contra verba peregrina moresque exteriores. Eius « contiones tabernarum » certam famam consecutae sunt, cum scilicet ad sodales alieni sodalitatis virorum inveniuntur in taberna congregatos per horas integras dicebat. Tunc fulgebat eius scientia historica ac geographicā semper nova luce, et ipse gaudebat, quod certas veritates cum illis quoque, qui ecclesiae aërem horrent, communicare poterat. Talibus in adiunctorum ipse nil cerevisiae bibebat, sed libenter videbat alios hunc potum nationalem cum gustu sumentes.

Bellum « oecumenicum » vidit confratrem defunctum cappellanum militarem tum hic tum illic. Minime gravate hoc munus exercebat, cum optime sciret cum militibus tractare et ab ipsis amaretur. Libenti quoque animo terras eosque sibi incognitas peragrabat, novas cognitiones et fortiores raras sibi colligens. In expugnandis arcibus plus unam rem pretiosam ab interitu servavit.

Bello finito Supremus Institutii Moderator bis ei Rectoris localis munus demandavit, id quod eum ingenti gudio affecit. Primus Rector novi collegii Forchheim cum esset, hospitalitate sua nobis cleri saecularis favorem conciliavit.

Vitae autumnum licuit ei in dilecto collegio Garsensi degere, operosus et actuosus usque ad vitae exitum, tum apostolatu verbi in missionibus, secessibus, subsidiis minoribus habendis, tum apostolatu calami. Sieut annis 1908–1912 folia « Der mariatische Sodale » ediderat, sic ultimis annis moderabatur folia « Maria Hilf », et per aliquod tempus etiam

« Maria-Hilf-Kalender ». Ipse foliorum moderator erat simul scriptor principalis, et libentissime quidem scribebat, haud raro sub ficticio nomine, velut *Br. Alwin*. Etiam pro futuro multa consilia litteraria mente volvbat, sed Dominus supremus dixit: « Sufficit nunc ! » et is, qui tanta in augustissimae Deiparae honorem scripserat et dixerat, pulchro festo B. M. V. ad aeternum praemium vocatus est. R. I. P.